

Z d  
6260

27, 68.

3, 190

MEMORIAM  
VIRI PRAENOBILISSIMI  
AMPLISSIMIQVE  
IO. THOMAE  
RICHTERI  
ZACHARIAE FILII  
SERENIS. PRINCIPIS ELECTORIS  
SAXONIAE  
A CONSILIIS FISCI, MERCATORIS PRIMARII  
A. D. XXVII. NOVEMBR. A. C. CIO IOCC LXXIII.  
PLACIDE DEFVNCTI  
COMMENDAT  
RECTOR  
ACADEMIAE LIPSIENSIS.

---

LIPSIAE  
LITERIS BREITKOPFIIS.



WILHELMUS  
FRIEDEMANN  
HANDEL.  
I.  
DIE  
KOMOEDIE  
IN  
ZWEI  
AKTEN  
VON  
JOACHIM  
REICHART  
MIT  
MUSIK  
VON  
WILHELM  
HANDEL.





**L**iberalium ingeniorum semper haec vis et ratio fuit, vt se non contineri sinerent earum finibus rerum et actionum, quae ad vitae suae genus propriæ pertinerent, sed latius vagarentur, et complecti tentarent multa alia, quae ad cognitionem utilia et iucunda viderentur, præsertim si haberent aliquam coniunctionem cum iis, in quibus vitae suae veluti domicilium collocaſſent. Nam in ingenii illis est fere infatibilis scientiae cupidio, quae nullis se certarum regionum finibus includi finit, sed semper nouas et incognitas regiones persequitur, semper aliquid invistitati circumspicit, quod velut alimenti noui vim et suauitatem adferat. Nec id in iis modo deprehenditur, quorum vita in studiis doctrinæ alicuius versatur: quos etiam coniunctio eius cum aliis generibus scientiae ad eam rem inuitat, quae interdum est tam magna et tam multiplex, vt nihil perfecti esse in illa possit, nisi horum cognitione adiuncta, sed etiam, atque adeo magis, in iis vitæ generibus atque artibus, quae in rebus corporeis versantur, manibusque tractantur, præsertim cum eae vel natura rerum, quibus occupantur, vel aliis fortuitis rebus temporum atque locorum alliciunt atque inuitant ad cognitionis et scientiae studium. Vt alia genera mittam; mercaturam,



turam, satis constat, multos olim sui studiosos, etiam per necessitatem quandam, ad astrorum motuumque coelestium cognoscendorum studium adduxisse, ad naturamque earum rerum accuratius cognoscendam, quibus emendis vendendisque pecunias quaererent, aut quas, mercaturae causa peregrinantes, vidissent audiuiscentue. Athenis quidem plures ex eo genere fuerunt, qui philosophiae cognoscendae operam darent: quorum etiam in tabernis considerent interdum philosophi, vt de Socrate memoriae proditum est, vt colloquendi secum de philosophia copiam facerent studiosis sapientiae: omninoque multa exempla reperimus mercatorum tradita, qui cum negotiatione vel mercium, vel pecuniarum, coniungerent lectionem librorum ad sapientiam diuinam et humanam, ad artes elegantiores pertinentium, historicorum item: quippe etiam, antiquioribus quidem temporibus, non raro illi ipsi, qui studia sapientiae atque doctrinae tractarent, seque philosophos, aut mathematicos profiterentur, aut etiam in ciuilibus rebus tractandis versarentur, eosdem mercaturam vel negotiationes exercuisse constat, vt Thaletem Milesum, Hippocratem Mathematicum (*Plutarch* in Solone pr.) et alios, per quos facile studium doctrinae transire poterat ad eos, quibus cum negotia illi haberent. Nec vero dubitari potest, quin coniunctio talis mercaturae cum quodam genere philosophandi salubris sit et liberalis, quod ea valere potest ad cauendum, ne animi nimis adhaerescant quaestus studio, et eius veluti cordibus inquinentur, deprimenturque ita, ut nec accipere honestos sensus, nec ad rerum diuinarum amorem et studium erigere se possint.

Atque talis mercatoris et negotiatoris exemplum amisimus nuper in *Io. Thom. Richtero*, e mercatoribus et negotiatoribus huius urbis primariis. Nam cum mercaturam et negotiationem non feliciter magis, quam diligenter et perite tractaret, idem etiam multum temporis tribuebat lectionibus librorum, ex vario genere doctrinae, imprimisque de artibus pulchrioribus, cuius generis librorum etiam copiam

copiam tam exquisitam tam magnam habebat, quae viro docto honorifica esse posset. Itaque etiam libenter versabatur cum hominibus eruditis, ut cum iis sermones ficeret, et cum per Franciam peregrinabatur, non magis mercatores clariores requirebat, quam viros doctrina claros, et omnis generis artifices: etiam hic, per tempus hibernum, septimo quoque die apud eum agebatur conuentus artificum, in quo super operibus artis, ex omnibus regionibus allatis, praesertim ex genere eo, quod figuras rerum aeri incidit, disserbatur. Nec minus curiosus erat rerum naturalium, in primisque ex genere metallico, quarum etiam thesaurum nouum instituerat, opportunitatem earum colligendarum ei praebentibus fodinis Saxonici, quarum partes multas ipse tenebat, tum etiam clarum illud Museum Richteri patrui. Itaque iure eum mercatorum philosphantium numero adscribemus, adscriptum agnoscer elegans posteritas.

Hunc talen virum edidit Lipsia nostra d. x Augosti a. C. C I O C C X X V I I . patre *Io. Zacharia*, mercatore huius urbis primario, et Senatore aedilitio, de cuius laudibus ante annos non multos diximus, matre *Anna Margaretha Beermannia*, Hamburgensi, quam annos natus duodecim amisit, secuto patre ante annos vnde-  
cim proxime superiores. Pater, pro ea virtute prudentiaque, quam in ipso fuisse sciunt omnes, qui cognitum habuere, fecit omnia curiose ac studiose, per quae eius ingenium atque animus ad veram pietatem formari posset, et earum rerum scientia instituerat, in quibus esset praeparatio ad id vitae genus, cui eum destinaverat, eiusmodi, quae similem ipsi ficeret omni genere virtutis, artis prudentiaeque. Quod quam feliciter ei successerit, res demonstrauit. Et ipse in omnibus illis rebus ei magister praecipiendo, monendo, maximeque exemplo fuit: quod est genus disciplinae optimum, raro illud infructuosum. Hac ergo disciplina cum satis confirmatus videretur, eum misit pater cum fratre minore *Io. Fri-*



derico peregrinatum, per partes Europae cultiores, in quibus et mercaturae maioris in omni genere cognoscendae, et in primis artium pulclarum, spectandis exemplis earum perfectissimis, cognoscendarum vberior copia daretur, etiam amicitiae cum claris mercatoribus et artificibus conciliandae, et quorum consuetudine et sermonibus posset proficere. Atque ita ille omne Belgium, Britanniam, Franciam, Italiam, Helvetiam, Germaniam, Hungariamque peragravit, ex eoque itinere, exeunte anno tertio, saluus sospesque, denique magnis copiis non modo Scientiae, sed etiam operum naturae et artium locupleratus, rediit, gaudente patre optimo, suo in ea re consilio eventum tam bene respondere, nihil ab eo, ut saepe fit, in eo itinere, vanitatis et levitatis assumptum esse, sed bona a se instituta egregie aucta. Itaque paullo post negotiationis omnis socium sibi adiunxit; in quo se patri plane probauit. Etenim in eo plane alterum se videbat, fide, dexteritate, diligentia, ceterisque virtutibus omnibus, tum communibus, tum propriis negotiatori, qui cum laude vera in ea ratione vitae versari velit. Et cum iam in illo labore tritum visu videret, ei auctor matrimonii incundi fuit, circumspiciendique sociam vitae, per quam molestiae laborum emollirentur, et domestici orii iucunditas paratur. In quo ille delectu felicissimus fuit, dueta *Dorotaea Elisabetha*, B. D. *Gottl. Gaudilii*, Pastoris ante plures annos Thomani filia natu maiore, omnibus ingenii corporisque dotibus ornatissima, quae coniugium, quanquam expers sobolis, tamen venustate, facilitate, pietate aliisque virtutibus ita iucundum fecit, ut etiam sensus orbitatis extingueretur. Nec vero ei alia vitae oblectamenta defuerunt, primum e copiis fortunarum, quibus ille, in primis quidem ad utilitatem publicam, ad liberalitatem erga pauperes, in primis ex iis, qui literis operam darent, vius est, sed etiam ad oblectationem suam per illa, quae diximus musea, per hortorum praediorumque cultum elegantiorem: in quibus tamen hac moderatione vtebatur, ut oblectationis studium nihil detraheret laborum curae et patientiae,

tiae; vtque nihil profusionis in illo genere cerneretur; omnia essent personae, temporibus et facultatum modo attemperata: in quo cum facilime peccent etiam liberalia et elegantia ingenia, decepta studio suo, intelligitur, quam bene apud eum omnes virtutes iunctae et copulatae fuerint. Sed ei etiam alia contigerunt virutis praemia, quae ei iucunditatis plurimum attulerunt. Senatus ei curam pauperum mandauit; quod munus apud eum optime collocatum iudicabat, qui ipse liberalissimus erga miseros esset: nec ei locus in ipso ordine amplissimo defuturus erat, si diutius vixisset. Societas Oeconomica eum in numerum suum adscivit: et, quod maximum ei ad honorem et iucunditatem fuit, Princeps Elector ei ornamenta consiliarii apud Fiscum contulit. Sed eius honoris fructus, proh! dolor, breuis fuit. Nam eodem anno oppressus est morbo, qui vitae finem attulit.

Erat corporis species ea, quae tum dignitatis plurimum haberet, tum roboris, et valetudinis firmae opinionem faceret: sed subinde defillationibus tentabatur, et prurigine cum exanthematis, quae cutem eroderent, et saniem funderent, denique etiam calculorum molestiis infestabatur. Leuabant illa quidem mala idoneis remedii, quae Vir artis medicae consultissimus D. *Bosius*, adhibebat; sed subito eum inuasit febris, arthriticos motus excitans, quibus materies morbi versus caput cerebrumque pelleretur. Inde convulsiones ortae: quae quidem breui sublate sunt ita, vt sensuum integritas rediret; sed paullo post nouo ad nerois impetu recrudit malum, atque eum ita oppressit, vt vitae finis fieret. a. d. 27 Nouembris, cum annos xlv et menses tres exigisset. Corpore mortui sectione aperto et inspesto, magna copia calculorum minorum reperta est in vrteribus, cum viuus iam plures eiecerat: in pelvi renis sinistri unus maior, qui vrterem illum plane obdurarat.

Ita amissimus citius, quam speraramus et optaramus, Virum longissima vita dignissimum, non minori omnium ciuium, quam suorum



suorum luctu. Et erant causae multae et magnae communis luctus, qui etiam ad externos propagatus est. Nam, non minus officiosus erat et liberalis aduersus peregrinantes, quam ciues. Et erant in eo multa, quae cum carum redderent, et iucundum omnibus, qui buscum versaretur: comitas, facilitas aduersus omnes: in amicitia fides, in congressibus amocitas ingenii et sermonum, aequitas in iudicando, elegantia in differendo de rebus ad artes pertinentibus; studium earum artium iuuandarum praecipuum. Sed maxime venerabilem et amabilem Virum reddebat religionis reverentia, et pietas in Deum luculenta; cuius etiam fructum magnum cepit in fine vitae. Ea dolores leuabat acerrimos, et aduersus eos animum armabat vera patientia; ea mortis instantis imaginem terrore omni priuauit, vt eius aduentum placido animo vultuque exciperet, neque tam mori, quam obdormiscere videretur. Huius talis Viri ergo, tam multis nominibus de ciuitate nostra bene meriti, memoriam, etiam grati animi causa, conferuare et fauore praeconiisque prosequi fas est, atque vota facere, vt diuina prouidentia vniuersam Richterianam gentem, cui tam multa deber ciuitas nostra, et in qua verum seminarium optimorum in primis mercatorum et ciuium habet, per multa secula saluam conseruet, eamque omnibus rebus florentissimam esse iubeat, quibus felicitas humana censemur. P. P. Dom. I. p. Tr. A. C. 150 1000 LXXV.



Zd 6260. 2°

W18

ULB Halle

007 144 016

3





MEMORIAM  
VIRI PRAENOBILISSIMI  
AMPLISSIMIQVE  
IO. THOMAE  
RICHTERI  
ARCHARIAE FILII  
ERENIS. PRINCIPIS ELECTORIS  
SAXONIAE  
NSILIIS FISCI, MERCATORIS PRIMARII  
A. D. XXVII. NOVEMBR. A. C. CIO IOCC LXXIII.  
PLACIDE DEFVNCTI  
COMMENDAT  
RECTOR  
ACADEMIAE LIPSIENSIS.

LIPSIAE

LITERIS BREITKOPFIIS.

